Been.

De

AQVIS SUPRA-

COELESTIBUS.

1693.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

1,_ 66.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 00795 6

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

De
AQVIS SUPRA-
COELESTIBUS
diſſertatio philoſophico-
Theologica,
qvam

juvante ſupremo Numine,

&

annuente utrâqve Ampliſſima
Facultate,

Theologica & Philoſophica,

publico eruditorum examini & judicio in auditorio Regentiano, die 28 Octobris,
pro impetrando ſtipendio Scheeliano
ſubmittere decrevi

JOHANNES NICOLAIDES
BEENIUS,

unà Defendente eximio Philoſophiæ ſtudioſo,
viro juvene doctiſſimo & ingenioſiſſimo

JACOBO OLAI STRUMIO.

HAFNIÆ, Literis Reg. Majeſt. & Univerſit. Typogr.
Johan. Phil. Bockenhoffer.
1693.

Gen. 1. 6

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

De *Aqvis ſupracœleſtibus* materiam ſatis arduam atq́; difficilem ita tractat doctiſſimus noſter BEENIUS, ut nec induſtriam in colligendis Autorum opinionibus, nec ἀκρίβειαν & modeſtiam in conferendis rationibus deſideremus. Qvamvis etiam â communi tramite veterum Theologorum præſertim noſtratium deflectere videatur, non caret tamen recentiorum qvorundam veſtigiis, qvæ cum modeſtis paſſibus ſeqvatur, & in argumento, qvod definiente Auguſtino non eſt de fide, verſetur, nihil obſtat, qvò minùs has pagellas publici juris fieri permittamus. Havniæ die XXII. Septembr. Anno 1693.

H. G. MASIUS.

Non minorem laudem merentur, qvæ hîc ſunt Philoſophica.

C. BARTHOLIN.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Perilluſtri & Generoſo

Domino ERASMO BAR-
THOLINO,

Sacræ Regiæ Majeſtatis Conſiliario Juſtitiæ, & in Supremo Juſtitiæ Tribunali atq; in Collegio Conſiſtoriali Aſſeſſori conſultiſſimo, in illuſtri Hafnienſium Athenæo Medicinæ Profeſſori honorario, Nobiliſſimæ & Ampliſſimæ Facultatis Medicæ Decano experientiſſimo, Mæcenati ſuo & privato ſtudiorum Moderatori benigniſſimo.

V I R O
admodum reverendo, clariſſimo atq; celeberrimo,

Dno Mag. SIMONI HOF,

Lectori Scholæ cathedralis Nidroſienſis meritiſſimo, & Capituli ejusdem loci Canonico digniſſimo, Mæcenati & fautori ad cineres colendo.

nec non

V I R O
plurimùm venerando & eruditiſſimo,

Dno OLAO HENRICI
STRUMIO,

Eccleſiarum Bynæs & annexarum in Norvegia Paſtori fideliſſimo, Parenti ætatem obſervando & piè ſuſpiciendo,

ut & VI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

VIRO
admodum reverendo & doctiſſimo,
Dno PETRO MENTZERI,
Eccleſiarum Melhuuſienſium apud Norvegos Antiſti-
ti vigilantiſſimo, Mæcenati ſuo & fautori
honoratiſſimo.

VIRO
plurimùm venerando & religioſo,
Dno PETRO JANI HER-
DALINO,
Eccleſiarum Aafiordenſium in Norvegiâ Paſtori digniſſi-
mo, & myſteriorum Dei Diſpenſatori fidiſſimo, avun-
culo ſuo ad urnam veneranter honorando
& ſuſpiciendo

has exercitii Academici primitias in animi grati
Τεκμήελον, & debiti honoris, reverentiæ atq; obſervantiæ
cauſâ ſubmiſſè dedicat & offert

humillimus cliens & cultor
JACOBUS OLAI STRUMIUS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

De *aqvis ſupracœleſtibus* Theologi cum orthodoxi, tum heterodoxi, & pariter Philoſophi Chriſtiani multis ſeculis in contrarias ſive diverſas partes ita diſſeruerunt, ut *adhuc ſub judice lis ſit*, qvid qvalesqve illæ judicandæ ſint: Theologi judicium de aqvis illis ferendum ſibi jure vindicant; qvia codex ſacer mentionem aqvarum iſtarum ſæpe facit: Philoſophi verò, qvoniam non ſolùm terreſtria, verùm etiam omnia naturalia corpora cœleſtia, & ſupracœleſtia, ſiqvæ dantur, ſub conſiderationem ipſorum cadunt, idcirco controverſiam de illis aqvis diſceptandam, & qvæſtionem iſtam ſibi decidendam meritò arrogant atq; asſumunt: unde nullus ferme liber phyſicus invenitur, qvi non hanc de *aqvis ſupracœleſtibus* qvæſtionem pertractat. Qvapropter diverſas Theologorum & Philoſophorum de *aqvis ſupracœleſtibus* ſententias, ac illarum rationes atqve firmamenta, & qvænam earum excellentiſſimis atq; celeberrimis Theologis orthodoxis recentioribus, & Philoſophis, nobisq; diſcipulis ipſorum minimis veriſimilior atqve probabilior videatur, aperire operæ pretium eſſe duximus.

SECTIO PRIMA.

Aqvas ſupracœleſtes exſiſtere omnes fere conſentiunt; qvid verò qvalesq; illæ ſint, valde inter ſe diſſentiunt Theologi orthodoxi, ſimul & heterodoxi, atq; pariter Philoſophi recentiores: qvatuor autem potiſſimùm ſententiæ diverſæ de aqvis iſtis inveniuntur: qvarum prima eſt Origenis; qvi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

per *aqvas ſupracœleſtes* allegoricè notari cenſuit Angelos beatos: hæc ipſius ſententia non rationibus, verùm meris nititur conjecturis: ſed qvoniam Moſi non propoſitum fuit res creatas incorporeas, verùm duntaxat corporeas deſcribere; nec Angeli usqvam in ſacris literis *aqvæ ſupracœleſtes* nuncupantur; idcirco hanc ſententiam recitâſſe, eſt ipſam refutâſſe.

SECTIO SECUNDA.

Secunda ſententia eſt Philoſophorum Scholaſticorum atqve Pontificiorum ferme omnium, qvi *aqvas ſupracœleſtes* cœlum qvoddam cryſtallinum eſſe putant ſupra reliqvos cœlos evectum, aqvis puriſſimis non fluidis, ſed in modum cryſtalli concretis atqve induratis conſtans: hæc ipſorum opinio partim authoritate ſeptuaginta interpretum nititur, qvi expanſum ſecundo die creationis inter aqvas inferiores & ſuperiores interjectum הָרָקִיעַ ſive רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם vertunt στερέωμα, item στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ, *firmamentum*, vel *firmamentum cœli*; partim ſuffulta eſt falſâ hypotheſi Ptolemæi, *qvòd cœlum conſtet ex ſphæris & orbibus inſtar cryſtalli firmis ac ſolidis, Tellurem pro centro habentibus*: hanc hypotheſin refutârunt Mathematici recentiores, dum ex liberrimo atq; maximè inoffenſo planetarum motu nervoſè demonſtrârunt cœlos conſtare ex materia ſubtiliſſima, agiliſſima, molliſſima pariter atq; fluidiſſima; & orbes ſive circulos planetarum non eſſe Telluri homocentricos, qvod perperam ſtatuunt Peripatetici, atq; Ptolemäici, ſed prorſus eccentricos; qvoniam Mars non rarò infra Solem ſe demittit, aliqvando ſupra illum aſſurgit, non Tellurem, ſed Solem pro centro cum reliqvis planetis communi habens: & Venus qvandoq; ſupra Solem aſcendit.

Huic

Huic ſententiæ partim affinis, partim contraria eſt opinio Henrici Nollii, qvi, referente Sperlingio, ſtatuit *aqvas ſupracœleſtes eſſe ſubſtantias puriſſimas, ſubtiliſſimas, igneas, lucidiſſimas, plùs qvàm perfectas, incorruptibiles, perpetuò in ſe fixas, hoc eſt, permanentes, liqvidas tamen & fluidas, inflammabiles, minimè combuſtibiles, in uſum hunc, ut in regione ſuprema ſint, atq; conſtituant* שָׁמַיִם *ſive cœlum tertium, Empyréum dictum, qvod in ſuperficie citimâ aqveum eſt, in extimâ igneum, igne flagrans, aqvâ ardens: illudq; ipſum cœlum eſſe habitaculum omnium Angelorum, ſanctorum, piorumq; hominum: hoc cœlum eſſe verum Paradiſum cœleſtem, & ſummum macrocoſmum continentem in ſe ſecundum eminentiam omnia, qvæ in hoc macrocoſmo & microcoſmo continentur.* Sed qvoniam hæc ipſius ſententia ſvave ſomnium eſt, refutatione indigna videtur.

SECTIO TERTIA.

Tertiam ſententiam antiqviores Theologi orthodoxi propemodum omnes, atq; multi Philoſophi Chriſtiani unanimiter fovent, *qvòd expanſum ſecundo die creationis inter aqvas inferiores & ſuperiores interpoſitum revera ſit ipſum cœlum ſtelliferum; & qvòd immenſa qvædam ſphæra aqvea, naturâ, denſitate atq; fluiditate aqvis terrenis planè ſimilis, (ex aliorum verò mente, vaporum inſtar rarefactis atq; tenuiſſimis & ſubtiliſſimis aqvis conſtans) cœlum ſupremum ex ſupera parte undiq; ambiat atqve cingat.* Hæc ſententia ſeqventibus probatur argumentis, qvorum primum eſt: *Dato teſtimonio Divino res certa eſt, atqvi datur teſtimonium Divinum, qvòd* רְקִיעַ הַשָּׁמַיִם *Expanſum cœli, die ſecundo creationis productum revera ſit ipſum cœlum ſtelliferum, & qvòd qvædam aqvæ ſupra il-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

lud ipſum expanſum ſtelliferum evectæ ſint atq; conſtitutæ. ergo tales aqvas ſupracœleſtes dari certum eſt. minor propoſitio probatur ex Gen.cap.I.v.6 7. 8. ubi dicitur *Deus feciſſe expanſum qvoddam intermedium inter aqvas eas, qvæ ſunt ſub expanſo conſtitutæ, & inter aqvas illas, qvæ ſupra expanſum ſunt evectæ; atq; illud ipſum expanſum Divinitus vocatum eſſe* רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם *expanſum cœli*, (qvod à 70 interpretibus vertitur στερέωμα τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, firmamentum cœli) *in qvo qvarto die creationis collocata ſunt duo luminaria cœleſtia majora, atq; reliqvæ ſtellæ minores. at luminaria cœleſtia non in cœlo aëreo, ſed in æthereo cœlo conſtituta ſunt. ergo expanſum inter aqvas inferiores & ſuperiores intermedium, non eſt cœlum aëreum, ſed cœlum ſtelliferum. ſatis apertè in primo Moſis capite dicitur qvòd aqvæ ſuperiores ſupra illud cœlum evectæ ſint, in qvo qvarto creationis die luminaria cœleſtia ſunt conſtituta.* hoc argumentum inſuper confirmatur unanimi Patrum orthodoxorum ferme omnium conſenſu, qvi à Theologis orthodoxis paſſim citatus eſt.

Secundum argumentum: *Aqvæ ſupracœleſtes ſunt ſupra expanſum conſtitutæ. at nubes aqvoſæ, vel qvæ continentur in nubibus, aqvæ non ſunt ſupra expanſum aëreum, ſed tantùm in media ejus regione; multò minùs ſupra expanſum ſtelliferum ſunt conſtitutæ. ergo* מַיִם עָבֵי שְׁחָקִים pſalm. 18. v. 12. *nubes aqvoſæ in cœlo aëreo pendulæ, ſive* νεφέλαι ἔνυδροι, *nubes aqveæ, vel qvæ in ipſis continentur, aqvæ neqvaqvam ſunt aqvæ ſupracœleſtes.*

Argumentum tertium: *Expanſum intermedium inter aqvas inferiores atq; ſuperiores, vocatur* שְׁמֵי הַשָּׁמָיִם, *cælum cœlorum*, pſalm, 148, v. 4. *Laudate Deum cœli cœlorum.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

rum, (id eſt, ſupremi atqve altiſſimi cœli,) *& qvæ ſupra cœlos ſunt, aqvæ. at aër nec eſt, nec vocari poteſt cœlum coelorum. ergo aër non eſt expanſum illud, qvod ſecundo die creationis conſtitutum eſt intermedium inter aqvas inferiores & ſuperiores.*

Qvartum: *Qvæcunq; diverſa ſunt à nubibus aqvoſis, illa ipſa non ſunt nubes aqvoſæ. at aqvæ ſupracoeleſtes diverſæ ſunt à nubibus aqvoſis. ergo aqvæ ſupracoeleſtes non ſunt nec eſſe poſſunt* מים עבי שחקים *nubes aqveæ vel aqvoſæ in coelo aëreo pendulæ.* minor propoſitio confitmatur ex pſal. 148. v. 4. qvi de *aqvis ſupracoeleſtibus ita* loqvitur:

הללו את־אלהים שמי השמים והמים אשר מעל השמים׃

ubi *Deum coeli altiſſimi atq; ſupremi, & qvæ ſupra coelos iſtos ſunt, aqvæ laudare dicuntur.* id eſt, gloriam & laudes infinitæ potentiæ, ſapientiæ atq; bonitatis divinæ luculenter oſtendere, hominesq; ſui aſpectu, vel conſideratione ſui, ad Deum laudandum permovere; qvemadmodum *etiam mutum opus affabrè factum artificem ſuum celebrare vulgò dicitur.* Sed demum in verſu 8 ſeqventi Deum laudare jubentur *grandines, nives & vapores*, (hoc eſt, nubes aqvoſæ: nam nubes aqveæ nihil aliud ſunt, qvàm vapores beneficio & virtute caloris Solaris atq; ignis ſubterranei, in mediam aëris regionem elevati) cæteraqve meteora: qvod certè ſine tavtologia fieri vix poſſet, ſi aqvæ ſupracœleſtes aliud non eſſent, qvàm nubes aqvoſæ, vel meteora aqvea, neqve ab illis eſſent diverſæ. verſu 8: הללוהו אש וברד שלג
וקיטור רוח סערה עשה דברו׃

Laudate Deum ignes & grandines, nives & vapores atq; venti turbinis facientes voluntatem ejus.

Hæc

Hæc eadem verba hujus pſalmi repetuntur in cantico trium virorum in fornacem ardentem conjectorum; ubi ſimiliter aqvæ ſupracœleſtes à nubibus & cæteris meteoris aqveis diſtingvuntur. Dan. 3. v. 60. εὐλογεῖτε τὸν κύριον ὕδατα πάντα τὰ ὑπεράνω τοῦ οὐρανοῦ. verſ. 64. εὐλογεῖτε πᾶς ὄμβρος καὶ δρόσος τὸν κύριον. verſu 68. εὐλογεῖτε δρόσοι καὶ νιφετοὶ τὸν κύριον. verſu 72. εὐλογεῖτε πάχναι καὶ χιόνες τὸν κύριον. & verſu 73. εὐλογεῖτε ἀστραπαὶ καὶ νεφέλαι τὸν κύριον. *Laudate Deum omnes qvæ ſupra coelum eſtis, aqvæ. omnis imber & ros Deum laudet. Laudate Deum rores & nives. Laudate Deum pruinæ & nives. Laudate Deum fulgura & nubes.* Item in pſalmo 104. v. 3. hæc de *aqvis ſupracoeleſtibus* perhibentur:

יְהוָה מְקָרֶה בַמַּיִם עֲלִיּוֹת הַשָּׁמַיִם עָבִים רְכוּבוֹ׃

Deus aqvis ſuperiores partes coeli concamerat & tegit: atq; nubes ſunt currus Dei.

Heic per aqvas, qvibus ſuperiores cœli partes à Deo concamerantur & teguntur, non nubes ſignificantur: primò qvia nubes non in ſuprema, ſed in media regione aëris pendent. ſecundò: qvia nubium in proximè ſeqventi verſu fit mentio. Porro *Deum aqvas in partes duas dividere, non eſt nubem facere, ſed totum integrale in duas partes ejusdem rationis & ſpeciei diſpeſcere: hinc ut antea aqvæ iſtæ conjunctæ unam eandemq; habuere naturam, ita & disjunctæ illam ipſam naturam & eſſentiam retinuerunt integram: nam dividere aqvas, non eſt eas deſtruere. & qvis neſcit ingens eſſe diſcrimen inter nubem & aqvam, ut ſicut aqva nec eſt, nec dici poteſt nubes, ita & nubes nec ſit nec dici poſſit aqva. Aqva eſt corpus ſimplex, nubes verò corpus eſt imperfectè mixtum.* Ipſe ordo modusqve creandi, qvo Deus uſus eſt, non videtur admittere ut *nubes* hic intel-

telligantur; opus cujusq; diei ſanè magnificum, ingens atq; majeſtate Creatoris prorſus dignum erat, & ad complementum mundanæ machinæ pertinebat: *Qvid verò ſunt nubes? vapores virtute Solaris & ſubterranei ignis elevati, meteora fluxa & inconſtantia:* qvomodo autem illæ opus integrum ſecundi diei conſtituere poterant? nec illud prætereundum, qvòd Deus Mundum nubilum non creaverit, & eo tempore, qvo diviſio aquarum à Deo imperabatur, nulla adhuc nubes fuerit. Gen. 2. v. 5.
לא המטיר יהוה אלהים על הארץ׃ ואד יעלה מן הארץ
והשקה את־כל פני האדמה׃

Nondum Deus pluvias in terram demiſerat, ſed vapor è tellure (ſexto demum die) *elevatus totam terram irrigavit.* Hinc qvintum oritur argumentum: *Aqvæ ſupracoeleſtes ſecundo die creationis exſtiterunt. at nubes aqvoſæ die ſecundo creationis non exſtiterunt. ergo nubes aqvoſæ non ſunt aqvæ ſupracoeleſtes.* minor propoſitio modò confirmata eſt.

Sextum argumentum: *Aqvæ ſupracoeleſtes ſunt perpetuæ. atqvi nubes aqvoſæ vel aqveæ non ſunt perpetuæ. ergo nubes aqvoſæ vel aqveæ non ſunt aqvæ ſupracoeleſtes.* minor probatur experientiâ: ſæpe cœlum adeò ſerenum eſt, ut ne nubecula qvidem adſit, aut ſi quando adſit, non humida, ſed νεφέλη ἄνυδρος, nubes ſicca ſit. Judæ verſu 12. at qvis tunc alteram partem aqvarum primitùs creatarum interiiſſe, & expanſum officio ſuo non fungi exiſtimet.

Argumentum ſeptimum: *Cataractæ coeli tempore diluvii univerſalis apertæ ſuas demiſerunt in Tellurem aqvas ad terram univerſam brevi tempore penitus inundandam. Cataractæ coeli ſunt aqvæ ſupracoeleſtes. ergo*

aqvæ

aqvæ ſupracoeleſtes tempore diluvii univerſalis apertæ ſuas demiſerunt in Tellurem aqvas ad terram univerſam brevi tempore penitus inundandam. minor propoſitio probatur ex Gen. 7. v. 11. ארבות השמים נפתחו : ויהי הגשם על־הארץ ארבעים יום וארבעים לילה :

Cataractæ coeli apertæ ſunt, & in Tellurem ceciderunt pluviæ per qvadraginta dies & noctes. Cataractas cœli hic ſignificare aqvas ſupracœleſtes acutiſſimi voluerunt interpretes: idem hac ratione probatur, qvia naturaliter fieri non poſſe videtur, ut per 40 dies & noctes continuas pluvia de cœlo cadat copioſa.

Octavum argumentum: *Expanſum coeli ſecundo die creationis productum intermedium eſt inter aqvas inferiores atq; ſuperiores. at expanſum aëreum non eſt intermedium inter aqvas inferiores & ſuperiores, ſi hæ non à nubibus aqvoſis diverſæ fuerint exiſtimatæ. ergo expanſum aëreum non eſt expanſum coeli ſecundo die creationis productum.* minor probatur: qvoniam illud, qvod inter duo corpora intermedium eſſe debet, non ſupra, ſed inter illa conſtitutum eſſe debet: at aër maximâ ſui parte ſuperior eſt nubibus aqvoſis.

Nonum Argumentum: *Si uſus & fines ſpeciales aqvarum ſupracoeleſtium ignorarentur, tamen illæ non à qvibusdam ideo negandæ eſſent; cum fines & uſus ſpeciales multarum rerum nos prorſus lateant, de qvarum tamen exſiſtentia minimè dubitamus. jam verò non ſolùm finis & uſus aqvarum ſupracoeleſtium generalis notus eſt, nimirum qvòd Deum laudent*, pſalm. 148. v. 4. ſcilicet materia ſunt laudis Divinæ, homines, qvi ipſas exſiſtere noverunt, ad DEum laudandum permovendo: verùm etiam fines & uſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

uſus ipſarum ſpeciales à nonnullis duo probabiliter ſtatuuntur: prior eſt, *ut immenſus tot tantorumq; ſiderum ardor refrigeratione aliqva mitigetur atq; temperetur*: licèt enim ſidera formaliter calida non eſſe communiter ſtatuant Philoſophi, attamen ex tam veloci motu & circumgyratione qvendam excitari calorem atq; ardorem non eſt improbabile. *poſterior finis & uſus ſpecialis aqvarum ſupracœleſtium à qvibusdam hic exiſtimatur, ut earum pondere deorſum coelum urgeatur, & prematur deorſum, ne crebro violentoq; ventorum impulſu concuſſum, huc illuc agitetur.* hinc ergo multò minùs *aqvæ ſupracoeleſtes* inficiandæ ſunt.

Decimum argumentum: *Si dividere aqvas, non eſt eas deſtruere, ſed illas ſaltem in loca diverſa diſtribuere; ſeqvitur qvòd ſicut integra manſit natura aqvis ſub firmamento conſtitutis, ita & aqvis ſupra firmamentum evectis manſerit natura integra.*

Argumentum undecimum: *Qvicunq; locus rebus creatis à Deo ordinis omnis authore in prima creatione tributus eſt atq; aſſignatus, ille ipſis naturalis eſt. atqvi aqvis ſupracoeleſtibus à Deo ordinis omnis authore locus ſupra firmamentum ſive coelum ſtelliferum in prima creatione tributus eſt atqve aſſignatus. ergo ille locus ipſis naturalis eſt.* minoris propoſitionis veritas ex primo capite Geneſeos pateſcit.

Duodecimum: *Qvodcunq; ipſum coeli nomen Hebræum à Deo in prima creatione impoſitum ſatis luculenter indicat, illud non èſt inficiandum. at qvasdam aqvas ſupra coelum ſtelliferum evectas eſſe atqve conſtitutas, ipſum coeli nomen Hebræum à Deo in prima creatione inditum ſatis luculenter indicat. ergo qvasdam aqvas ſupra coelum*

 ſtelli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

ſtelligerum evectas eſſe atq; conſtitutas non eſt inficiandum. majoris veritas claret : qvia convenientia rebus nomina, præſertim à Deo ipſo impoſita nos in notitiam naturæ rerum ſæpe deducunt. minor probatur ex nomine cœli Hebræo שָׁמַיִם IBI AQVÆ ; ex שָׁם illic & מַיִם aqva; qvo denotatur non modò prima cœli materia, ex qva productum eſt, ſed unà aqva ſupra firmamentum repoſita.

Argumentum decimum tertium : *Qvodcunq; non ſolùm aliis rationibus, verùm etiam ex analogia & ſimilitudine macrocoſmi atq; microcoſmi probari poteſt, illud non eſt negandum. atqvi qvasdam aqvas ſupra coelum ſtellatum evectas eſſe, ex analogia & ſimilitudine macrocoſmi, atq; microcoſmi probari poteſt. ergo hoc non eſt negandum.*

Minor propoſitio hoc modo probatur: Sicut in Microcoſmo, vel homine, ſupra cor igneæ naturæ locatum eſt cerebrum frigidiſſimum, ita in magno Mundo ſupra cœleſtes ignes & æternùm lucentes faces probabile eſt aqvas frigidæ naturæ eſſe poſitas: nam macrocoſmi & microcoſmi analogiam eſſe magnam atq; multiplicem, etiam ipſe Regum omnium ſapientiſſimus atq; opulentiſſimus Salomon in Eccleſiaſtæ capite 12 innuit, *ubi ſenum oculos caligantes atq; cæcutientes Solem & Lunam microcoſmi obſcuratos nuncupat*, aliisq; ſimilibus utitur comparationibus.

SECTIO QVARTA.

Qvartæ ſententiæ, qvæ cæteris prioribus videtur probabilior (qvanqvam nos hìc nihil definimus) ſe præbent aſſertores non ſolùm doctiſſimi Rabbini, Aben ezra & alii, ſimulq; multi viri Chriſtiani lingvæ Hebrææ peritiſſimi, verùm etiam magna Eccleſiæ Chriſti orthodoxæ lumina, viri excellentiſſimi & longè celeberrimi, qvorum ſententia eſt *expanſum vel coelum ſecundo die creationis inter aqvas inferi-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

inferiores & ſuperiores productum revera eſſe ipſum aë-rem vel expanſum aëreum, (qvibus conſentit Beatæ memoriæ Svaningius noſter in notis marginalib9 verſionis ſuæ codicis ſacri) *aqvas verò ſupracœleſtes putant eſſe nubes aqvoſas*. Fridemannus Bechmannus S. S. Theologiæ Doct. & Profeſſor in Academia Jenenſi celeberrimus atq; excellentiſſimus, adhuc ſuperſtes, ille in compendio Theologico Hutteri annotationibus uberioribus à ſe illuſtrato hæc de expanſo ſecundi diei, creationis, atq; de *aqvis ſupracœleſtibus* in loco qvarto de creatione, pag. 118. profert: *Probabilis admodum ſententia eſt, per* רָקִיעַ *Expanſum ſecundi diei intelligi expanſum aëris; per aqvas ſuperiores verò eas ſignificari, qvæ in ſuperiori parte aëris in nubes condenſari ſolent, atqve ab aëre interpoſito aliqvantiſper ſuſtentari*. Hanc ſuam de aqvis ſupracœleſtibus ſententiam idem Theologus excellentiſſimus poſtea validis tuetur rationibus. Panſophus ille & Theoſophus incomparabilis Scherzerus in nucleo ſuo Philoſophiæ, qvæſtione 114. pag. 310. ad hanc qvæſtionem: *An dentur aqvæ ſupracoeleſtes?* reſpondet ibidem: *Spiritus ſanctus nullas alias aqvas ſupracoeleſtes præter nubes admittit: alii à vulgata & vitioſa verſione decipiuntur*. Vir qvidam noſtras excellentiſſimus & celeberrimus, cujus nomen hic libenter reticemus, ne ipſi jam defuncto qvicqvam affingere videamur, ipſe faſſus eſt ſe exiſtimare, *qvòd aqvæ ſupracoeleſtes vel potiùs coeleſtes aliud non ſint, qvàm pluviæ, nives & grandines, qvæ de coelo cadunt, cæteraqve meteora aqvea*. Beatus noſter Noldius in notis marginalibus verſionis ſuæ codicis ſacri, qvam inchoaverat qvidem, ſed morte præoccupatus conſummare neqviit, *aqvas ſupracoeleſtes*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

ſtes ſupra coelum ſtelliferum evectas in dubium ita vocat, ut magis inclinari atq; propendêre videatur in ſententiam eorum, qvi aqvas ſupracoeleſtes aliud non eſſe, qvàm nubes aqvoſas, vel aqveas exiſtimant. niſi brevitatis ſtudium prohiberet, adhuc plures Theologos orthodoxos citare poſſemus, qvi pro hac qvarta ſententia affirmanda ſeqventes proferunt rationes: Ratio prima: *ſi aqvæ ſuperiores à Spiritu ſancto nuncupantur* מים עבי שחקים *Aqvæ coeleſtes in nubibus contentæ:* Mørcke Vand udi Skyerne paa Himmelen. pſalm. 18. v. 12. item Jobi 26. v. 8. מים צרורים בעבים ולא נבקע ענן תחתם: *Aqvæ coeleſtes in nubibus denſis ita colligatæ, ut nubes tamen ſub iis non rumpantur, antequam Deus nutu ſuo hoc juſſerit fieri:* Huic loco Jobi tanqvam parallelum citat Beatus noſter Svaningius locum pſalmi 104. v. 4. יהוה מקרה במים עליות השמים: *Deus aqvis partes coeli* (ſcilicet aërei) *ſuperiores concamerat & tegit:* porro ſi ſuperiores aqvæ vocantur *Aqvarum coeleſtium in nubibus ſuſpenſarum ingens copia & multitudo,* Jerem. 10. v. 13. hæc enim ſunt verba Prophetæ: לכול תתו המון מים בשמים *Deo tonante multitudo aqvarum exſiſtit in coelo:* Prophetam autem aqvas pluvias in nubibus contentas, & cœlo tonante copioſè cœlitus decidentes heic innuere, omnes interpretes conſentiunt: *ſi nubes aqvoſæ vel aqveæ ſimiliter à Plinio in libro* 31, cap. 1. nuncupantur *Aqvæ perqvam admirabiliter in coelo* (aëreo) *ſtantes*, ſeqvitur ergo qvòd non opus ſit, entia præter neceſſitatem multiplicando, alias aqvas ſupracœleſtes immenſæ prorſus amplitudinis & copiæ ſupra immenſum cœlum ſupremum illud ipſum undiq; ambi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

ambientes atq; cingentes ſtatuere, cum hoc minùs probabile eſſe, ex ſeqventibus pateſcat argumentis.

Ratio ſecunda: *Si vox* מֵעַל *cum voce* לָרָקִיעַ *conjuncta atq; conſtructa nusqvam in ullo ſacræ ſcripturæ loco ſignificat* עַל *ſuper aut ſupra; verùm duntaxat DE vel E, ut Ezechiel.* I. V. 25. וַיְהִי־קוֹל מֵעַל לָרָקִיעַ׃ *Et facta eſt vox de Expanſo:* vel, è ſuperiori parte expanſi: *ſi præterea vox* מֵעַל *rariùs in ſacris literis ſignificat* עַל *ſuper aut ſupra, ſed in locis ſacri codicis propemodum innumeris ſignificat DE, E,* A, AB, SUPERNE, E SUBLIMI, vel E SUPERIORE PARTE; ut à Beato noſtro Noldio in Concordantiis particularum Hebræo-Chaldaicarum abunde propemodum innumerabilibus exemplis probatum eſt; *ſeqvitur qvòd ex phraſi iſtâ* מֵעַל לָרָקִיעַ Gen. I. V. 7. *non peti poſſit firmum argumentum ad probandum aqvas ſupracoeleſtes ſupra expanſum coeli ſtelliferi evectas eſſe atq; conſtitutas; cum* מַיִם אֲשֶׁר מֵעַל לָרָקִיעַ Gen. I. V. 7. *ab excellentiſſimis & celeberrimis Theologis orthodoxis ſuprà memoratis valde probabiliter vertantur: Aqvæ è ſuperiori parte expanſi aërei, vel in ſuperiori ejus parte pendulæ; ſive nubes aqvoſæ in ſuperiori aëris parte, nempe in media ejus regione hærentes, atq; vertici noſtro ſupernè imminentes.* Cum igitur in alio ſcripturæ loco מֵעַל לָרָקִיעַ ſignificet מִן־הָרָקִיעַ ut modò probatum eſt ex Ezechiele, & מֵעַל שָׁמַיִם ſignificet qvoq; מִן־הַשָּׁמַיִם ut in pſalmo 108. V. 5. גָּדוֹל מֵעַל שָׁמַיִם חַסְדֶּךָ יְהוָה׃ hoc eſt מִן־הַשָּׁמַיִם *Magna præ coelo* (id eſt: major cœlo) *eſt benignitas Dei;* utiq; probabile eſt qvòd מַיִם אֲשֶׁר מֵעַל שָׁמַיִם

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

pſalmo 148. v.4. idem ſignificent qvod מַיִם אֲשֶׁר מִן־הַשָּׁמַיִם *Aqvæ, qvæ de coelo.* (cadere debent.) id eſt: *coeleſtes.* qvemodmodum Jeremiæ cap. 5. v. 6. dicitur אַרְיֵה מִיַּעַר *Leo de ſylva.* id eſt: *ſylveſtris.* *Aper de ſylva*, apud Florum; hoc eſt: *ſylveſter.* מְתִים מֵחֶלֶד pſalmo 17. v. 14. *Homines è Mundo.* id eſt: mundani. Ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Joh. 6. v. 31. *Panis de coelo.* id eſt: cœleſtis. Ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ. hoc eſt: οὐράνιος. 1 Cor. 15. v. 47. *Dominus de coelo.* id eſt: cœleſtis. ita ut מַיִם אֲשֶׁר מֵעַל שָׁמַיִם ſint מַיִם מִן־הַשָּׁמַיִם *Aqvæ de coelo.* id eſt: cœleſtes, vel in ſuperiore parte cœli aërei hærentes.

Tertium argumentum: Si רָקִיעַ וְשָׁמַיִם *Expanſum ut & coelum eſt duplex, aëreum ſcilicet & æthereum, utiq; non multò firmior eſt connexio hujus ratiocinii:* Expanſum cœli tanqvam intervallum qvoddam interpoſitum eſt inter aqvas inferiores & ſuperiores; & in Expanſo cœli qvarto die creationis collocata ſunt luminaria cœleſtia. ergo idem Expanſum in utraqve propoſitione intelligitur: *qvàm connexio iſtius ſyllogiſmi:* ; גֶּשֶׁם יִפּוֹל מִן־הַשָּׁמַיִם Eſaiæ 55. cap. v. 10. Imber cadit de cœlo: ; כּוֹכָבִים מִן־הַשָּׁמַיִם יִפֹּלוּ Οἱ ἀστέρες ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσοῦνται. Matth. cap. 24. v. 29. Marc. 13. v. 25. Stellæ de cœlo cadent. ergo idem cœlum, idemqve expanſum utrobiqve ſignificatur. *Nam Expanſum perinde atqve coelum eſt ambiguæ ſignificationis: Expanſum enim ſignificat cum Expanſum æthereum, in qvo die qvarto creationis luminaria coeleſtia ſunt locata,* Gen. cap. 1. v. 14. *tum etiam Expanſum aereum,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

um, ut pſal. 19. v. 1. הַשָּׁמַיִם מְסַפְּרִים כְּבוֹד־אֵל וּמַעֲשֵׂה יָדָיו מַגִּיד הָרָקִיעַ׃

Coeli ſtelliferi enarrant, (id eſt: oſtendunt & declarant) *gloriam infinitæ potentiæ, ſapientiæ & benignitatis Divinæ; atque expanſum aëreum luculenter indicat ſe eſſe opus manuum Dei.* qvemadmodum humanum opus artificioſum & affabrè factum ſolertiam artificis ſui celebrat atq; commendat. *Expanſum aëreum heic intelligi manifeſtum eſt; qvoniam aliàs tavtologiá vix liberari poſſet Vates ſacer.* Sic qvoq; vocabulum שָׁמַיִם ſignificat cum cœlum æthereum, qvod probatione non indiget, tum etiam cœlum aëreum; unde Plinius in libro ante citato dicit, *nihil admirabilius eſſe aqvis in coelo* (aëreo) *ſtantibus.* Aer communiter dividitur in tres regiones, nempe in ſupremam, mediam & infimam: & *propterea qvòd aër ſit corpus homogeneum, qvælibet aëris regio, ut pars homogenea, cum apud profanos, tum apud ſacros authores ſortitur nomen totius, adeò ut qvævis ejus regio vocetur coelum:* exempli gratiâ, Deut. 4. v. 17. צִפּוֹר כָּנָף מְעוֹפֵף בַּשָּׁמָיִם׃ *Volucres in coelo volantes.* non ſanè in æthereo cœlo, ut notum, ſed in aëreo, ſive in aëre. ſimiliter Jerem. 8. cap. v. 7. חֲסִידָה בַשָּׁמַיִם מְעוֹפְפָה יָדְעָה מוֹעֲדֶיהָ׃ *Ciconia in coelo*, (hoc eſt: in infima aëris regione) *volans conſtituta ſua novit tempora.* ita Matth. 6. v. 25. πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. *volucres coeli.* id eſt: volucres in infima aëris vel cœli aërei regione volantes. Sic Jerem. 10. v. 13. לְקוֹל תִּתּוֹ הֲמוֹן מַיִם בַּשָּׁמַיִם׃ *Jehova tonante multitudo aqvarum exſiſtit in coelo.* id eſt: Multitudo nubium aqvearum in media regione aëris hæret.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

ret. Ac in omnibus lingvis *pluvia de coelo cadere dicitur*, ut Eſaiæ 55. cap. v. 10. יֵרֵד הַגֶּשֶׁם וְהַשֶּׁלֶג מִן־הַשָּׁמַיִם: *Imbres & nives de coelo cadunt.* hoc eſt: de media cœli aërei regione. Huc ſpectant verba Gulielmi Robertſon in Lexico Hebræo concordantiali: *Ego, cum Hebræis, hoc nomine* רָקִיעַ *& coelum & aërem ſignificari puto, utrumqve corpus tenue & expanſum; corpus ſubtile, qvod eſt ſupra terram & aqvam, in qvo aves volant, nubes feruntur, meteora ſunt, & ſtellæ conſpiciuntur.* Qvemadmodum cœlum ſtelliferum, licèt in ſe unum corpus uniusmodi ſit atq; uniforme, tamen à Mathematicis dividitur in cœlum Lunæ, Martis & cæterorum planetarum, atqve in cœlum ſtellarum fixarum; ita *qvamvis aër unum per ſe corpus ſit, tamen à Philoſophis in tres regiones dividitur, nimirum in infimam, mediam & ſupremam, qvarum qvælibet cum à ſacris, tum à profanis authoribus coelum per Synecdochen qvandam ſæpe appellatur; unde illud, qvod ſupra regionem aëris infimam ſitum eſt, ſupracoeleſte rectè vocari poteſt.* Si qvis igitur vehementer urſerit מַיִם אֲשֶׁר מֵעַל לָרָקִיעַ Gen. 1. cap. v. 7. וּמַיִם אֲשֶׁר מֵעַל שָׁמָיִם pſalm. 148. v. 4. *omnino ſignificare qvasdam aqvas ſupra coelum evectas eſſe atqve conſtitutas;* (cujus tamen contrarium qvadantenus à nobis probatum eſt) largiuntur hoc ipſum orthodoxi Theologi antè memorati, cumq; illis alii plures; *dummodo viciſſim ipſis concedatur, qvòd per coelum aqvis inferioribus atq; ſuperioribus interjectum & interpoſitum infima aëris regio ſignificetur ad nubes usqve pertingens, qvæ per Synecdochen in ſacris literis freqventem coelum ſæpe nuncupatur:* id qvod multis ſacræ ſcripturæ dictis paulò antè probatum eſt.

Qvar-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Qvartum argumentum : *Si nubes aqvoſæ vel aqveæ tum ſacris tum profanis authoribus*, ut Ariſtoteli in libro 4. cap. 5. phyſicorum, atqve Plinio in libro 31. cap. 1. & *nuncupantur & ſunt aqvæ cœleſtes*, ut argumento primo probatum eſt; & *infima aëris regio à ſuperficie terræ pariter & aqvæ usq; ad nubes vel mediam aëris regionem expanſa per Synecdochen qvoq; cœlum vel expanſum nuncupatur*, ut qvoq; probatum eſt; *utiq; hoc ſenſu concedi poteſt dari aqvas ſupracœleſtes ſupra infimum expanſum aëreum evectas, vel potiùs cœleſtes, qvæ per infimum cœlum aëreum usq; ad nubes expanſum tanqvam per intervallum qvoddam & fulcimentum diſcriminantur ab aqvis marinis & fluviatilibus, cæterisq; aqvis in tellure exſiſtentibus.*

Argumentum qvintum: *Qvandoqvidem cœlum ſtellarum fixarum, ex ſententia omnium Aſtronomorum recentiorum, eſt immenſa amplitudine & capacitate, etiam ad illud exteriùs cingendum immenſa ac ſtupenda aqvarum moles & copia reqvireretur. at non ſit credibile tam immenſam aqvæ copiam initiò à Deo creatam fuiſſe, qvæ cœlum ſtellarum fixarum undiq; cingeret atq; ambiret. ergo nec ſit veriſimile dari aqvas ſupracœleſtes cœlum ſtelliferum undiq; ambientes & cingentes.*

Sextum argumentum : *Si tanta tamq; immenſa moles aqvarum ſupra cœlum ſtellarum fixarum exſiſteret, utiqve inferiores aqvæ, imo totus globus terrenus ad eam comparatus vix unius puncti rationem obtineret*; qvinimo vix ea eſſet ratio aqvarum inferiorum in Tellure exſiſtentium, ad aqvas ſuperiores ſupra cœlum ſtelliferum ſitas, qvæ eſt guttæ unius ad totum Oceanum. tam enim immenſæ capacitatis & amplitudinis eſt extima illa ſtellarum fixarum ſphæra. jam verò diſtinctio & diviſio non fit niſi inter ea, qvæ qvoad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

magnitudinem ſibi qvodammodo reſpondeant, & proportionem qvandam inter ſe habeant. Qvapropter aqvæ cœleſtes non de immenſis qvibusdam ſupra cœlos omnes exaltatis aqvis; ſed de nubibus aqvoſis, qvæ inferioribus hiſce aqvis usqveqvaqve reſpondent, & magnam cum iisdem affinitatem habent, intelligendæ erunt. cui ergo ſit credibile tam immenſam aqvarum molem & copiam ſupra cœlum ſtelliferum evectam eſſe? qvarum tamen nullam evidentem utilitatem oſtendi poſſe, mox ulteriùs ex ſeqventibus patebit? præſertim cum ſapientiſſimus ille rerum omnium opifex nihil fruſtra condiderit.

Septimum argumentum: *Si darentur aqvæ ſupracœleſtes, utiq; ſupra cœlum ſupremum exſiſteret mare immenſum; cum omnis immenſa aqvarum copia, congeries & moles propriè ſit & vocetur mare; & aſſertores tertiæ ſententiæ velint easdem aqvas non ſpecie nubium aut vaporum, ſed formâ aqvarum conſpiſſatarum vel denſarum ſupra cœlum ſtelliferum exſiſtere.*

Octavum argumentum: *Si tanta tamq; immenſa aqvarum moles & copia ſupra cœlum ſtelliferum evecta eſſet, utiq; illic contra naturam aqvæ, bonamq; univerſi diſpoſitionem reſideret*: nam experientia teſtatur aqvarum locum eſſe infra aërem ſupremum, vel proximè ſupra partem aliqvam aëris. cernimus enim aqvam in aërem elevatam non diu illic qvieſcere; ſed ſuo nutu & pondere deorſum præcipitari. Et hunc eſſe ordinem naturæ, ut aqvæ cœleſtes aëri & elementis inferioribus ſint annumerandæ potiùs qvàm ſupracœleſtibus, teſtatur Ariſtoteles, qvi in libro 4. phyſicorum, cap. 5. *aërem* dicit eſſe τόπον ὑδάτων: & Plinius in libro 31. cap. 1. ait, *nihil eſſe mirabilius aqvis in cœlo* (id eſt: in aëre) *ſtantibus*. atq; Jerem. 10. cap. v. 13 dicitur *Jehova tonan-*

tonante multitudo aqvarum exſiſtere in cœlo. id eſt: multitudo nubium aqvearum vel aqvoſarum in media regione aëris hærere.

Nonum argumentum: *Si aqvæ tales ſupra cœlum ſtellarum fixarum eſſent conſtitutæ, utiq; vel naturaliter, vel violenter, vel miraculoſè illic eſſent; at non naturaliter;* qvoniam naturalis aqvæ locus eſt vel in aëre, qvi dicitur πόπ@ ὑδάτων, ab Ariſtotele, & à Plinio in libro 31. cap. 1. vel naturalis locus aqvæ infra aërem eſt in terra. *neq; violenter aqvæ ſupra cœlum ſtelligerum ſitæ ſunt:* nam tum non forent durabiles & perpetuæ; cum nullum violentum poſſit eſſe diuturnum. *neq; etiam illic ſunt miraculoſè;* qvoniam hoc nullo modo probari poteſt.

Argumentum decimum: *Si cœlum ſtelliferum conſtaret ex ſphæris & orbibus inſtar cryſtalli firmis atq; ſolidis, qvod ſtatuunt Peripatetici ac Ptolemaïci, tum aqvæ ſupracœleſtes aſſertorum tertiæ ſententiæ, firmum haberent fundamentum & fulcrum, cui inniterentur: jam verò cœlum ſtelliferum conſtare ex materia ſubtiliſſima & fluidiſſima, Mathematici recentiores luculenter & nervoſè demonſtrârunt*, ut ſuprà memoravimus. *ergo non ſit credibile tam immenſam aqvarum copiam contra naturam aqvarum ſupra ſtelliferum cœlum fluidiſſimum pendulas exſiſtere; qvoniam firmô atqve ſolido fundamento illic prorſus carent.*

Ratio undecima: *Si doctiſſimis & prudentiſſimis hominibus dudum improbata eſt Ariſtotelis ſententia ſtatuentis ingentem aliqvam ſphæram igneam*(qvam αἰθέρα vocat, ab αἴθω uro vel ardeo) *Lunæ globo proximam, totam aëris extremam ſuperficiem undiqve ambire & cingere: utiqve non minùs improbanda doctis illorum ſententia videtur,*

 qvi

qvi immenſam qvandam ſphæram aqveam, vel prorſus immenſam aqvæ non attenuatæ vel rarefactæ, ſed denſæ copiam ſupra ſtellarum fixarum cœlum immenſæ prorſus amplitudinis & capacitatis ſtatuunt, eamqve aqvam illud cœlum ſupremum totum undiq; ambire & cingere putant.

Ratio duodecima: *Qvodcunq; ipſa Hebræi nominis cœli etymologia atq; originatio luculenter indicat, illud fit credibile. atqvi cœlum ſtelliferum tanqvam corpus naturale omnium altiſſimum ambitu ſuo atqve complexu tegere omnia cætera corpora naturalia, nec ipſum à qvodam alio corpore tegi atqve ambiri, ipſa Hebræi nominis cœli etymologia atq; originatio luculenter indicat. ergo cœlum ſtelliferum tanqvam corpus naturale omnium altiſſimum ambitu ſuo atq; complexu omnia cætera corpora naturalia tegere, nec ipſum à qvodam alio corpore tegi atq; ambiri cingive, fit credibile.*

Majoris propoſitionis veritas patet, qvia nomina rebus convenientia, præſertim Divinitùs impoſita (qvale eſt ipſum cœli nomen Hebræum) nos in notitiam naturæ rerum deducunt. propoſitio minor ita probatur: doctiſſimi Philologi cenſent nomen cœli Hebræum שָׁמַיִם deductum eſſe ex radice qvadam à ſermone Hebræo dudum qvidem deperdita, ſed adhuc ſuperſtite nobis in Arabica lingva filia Hebrææ lingvæ locupletiſſima & copioſiſſima, nimirum à radice שָׁמָה *altus fuit & supernè texit*: qvô innuitur *cœlum ſtelliferum tanqvam corpus naturale omnium altiſſimum & ſupremum ambitu ſuo omnia cætera corpora naturalia ſupernè tegere, nec ipſum à qvopiam alio corpore cingi vel obtegi.* præterea multi Philoſophi atq; Philologi cele-

celebres hujus ſeculi, ex illo verſu Ovidiano, Metamorph. libro 1. fabul. 1.

Ante mare & terras, &, qvod tegit omnia, cœlum. approbant illud: *cœlum ſtelliferum omnia cætera corpora naturalia complexu atq; ambitu ſuo tegere.* ſi ergo cœlum ſupremum tegit omnia cætera corpora naturalia; utiqve ipſum non tegitur ab alio corpore extremam ipſius ſuperficiem undiq; ambiente atqve cingente: aliàs enim cœlum ſtelliferum vel æthereum non tegeret omnia cætera corpora naturalia.

SECTIO QVINTA:

Ad argumenta tertiæ ſententiæ reſpondent orthodoxi Theologi recentiores antè memorati, ſimul & Philoſophi Chriſtiani, & qvidem primò minorem propoſitionem argumenti primi negando; qvamvis autem noſtrâ parum interſit *ſolumne expanſum aëreum ſecundo die creationis productum ſit, an verò cum ipſo ſimul Expanſum æthereum?* tamen Fridemannus Bechmannus in loco citato prius his defendit rationibus: *Si cœlum æthereum propriè ſumptum primo die creatum eſt, utiq; Expanſum ſecundo die creationis productum & aqvis inferioribus atqve ſuperioribus interpoſitum tantummodo Expanſum aëreum ſignificat.* minor propoſitio ſeqventibus probatur rationibus: primò, regula Theologica eſt, *qvòd à literali & propria ſignificatione vocum ſine urgente neceſſitate non ſit recedendum:* qvæ regula omni bono ſacrarum literarum interpreti diligenter obſervanda eſt; aliàs nihil in ſacra ſcriptura certi erit, ſed cuivis ſuum illi ſenſum inferre atqve affingere licebit. *at ubi* Gen. 1. v. 1. *fit mentio coeli & terræ à Deo creatæ, nulla urgens ratio vel neceſſitas afferri poteſt, qvæ nos cogat recedere à propria vocabulorum iſtorum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

rum vi, qvâ ſignificant corpora veram naturam coeli & terræ habentia, qvantumvis tunc temporis inornata, atqve propterea תֹהוּ וָבֹהוּ *vaſta & vacua nuncupata, & illa vocabula in Geneſeos capite primo, verſu primo, impropriè vel Metonymicè ſumere pro materia coeli & terræ, ſive rudi & indigeſta mole. ergo ſeqvitur qvòd Expanſum æthereum propriè ſumptum primo die creatum ſit; ideoqve Expanſum ſecundi diei nihil aliud ſit, qvàm coelum aëreum.*

Secundo: cœlum & terra non memorantur alio die qvàm primo producta eſſe: qvamvis enim aſſerant multi cœlum æthereum ſecundo demum die creatum eſſe, tamen id vix probare poſſunt: qvanqvam etiam in hiſtoria creationis memoratur terram tertio die nudatam eſſe aqvis, qvibus altiſſimè undiq; circumfuſa erat, tamen inde non conficitur ipſam terræ ſubſtantiam tertio demum die productam eſſe: qvemadmodum, cum ingentia ſaxa intra aqvas latentia, aqvis in alia loca deductis, apparent, & oculis hominum ſubjiciuntur, dici non poteſt, qvòd illa tum demum producta ſint: ſicut nec orbis terrarum tum primum productus fuit & creatus, ubi altiſſimis aqvis diluvii undiq; circumfuſis evolutus atqve denudatus oculis humanis apparuit. Deus Gen. 1. v. 9. Aqvas Tellurem altiſſimè circumfundentes in loca peculiaria confluere jubens, non dixit יִקָּווּ הַמַּיִם מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם אֶל־מָקוֹם אֶחָד וְתֵעָשֶׂה הַיַּבָּשָׁה׃ *Qvæ ſub coelo ſunt, aqvæ confluant in locum unum, ut Tellus producatur, fiat, vel creetur: ſed ait* יִקָּווּ הַמַּיִם מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם אֶל־מָקוֹם אֶחָד וְתֵרָאֶה הַיַּבָּשָׁה׃ *Qvæ ſub coelo ſunt, aqvæ coëant in unum, ut Tellus ſub aqvis*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

qvis latens & exſiſtens modò producta atq; creata, appareat arida. vel in hominum & animalium reliqvorum ſalutem aqvis undiq; altiſſimè circumfuſis evoluta & liberata. Præterea corpori, qvod Gen. 1. v. 1. Tellus dicitur, competunt Telluris proprietates, nempe ſumma gravitas, qvâ tellus illa in centro hujus univerſi conſtituta fundamentum aqvis totam ipſius ſuperficiem undiqve altiſſimè circumdantibus primo die præbuit. competit etiam ipſi ſiccitas vel ariditas, unde dicitur הַיַּבָּשָׁה globus rotundus & intrinſecus aridus atq; ſiccus, extrinſecus verò tantùm ab aqvis ipſius ſuperficiem undiqve altiſſimè cingentibus & obtegentibus madefactus. Similiter *Deus primo die*, juxta hiſtoriam Moſaicam, *creavit aqvas:* qvanqvam enim non expreſſè dicitur Deum primo die aqvas creaviſſe, tamen creationem earum ad primum diem ſpectare vel inde patet, qvòd Moſes in deſcriptione operum primi diei dicit *Spiritum Dei aqvis incubuiſſe*; & omnes Theologi cum Lutherani & orthodoxi, tum Reformati *aqvas propriè dictas* hìc ſignificari concedunt: unde ſeqvitur, *aqvas primo die fuiſſe productas:* neq; ratio prægnans afferri poteſt, cur à proprietate vocis aqvæ recedendum ſit. accedit, qvòd corpori illi, qvod Gen. 1. v. 2. *aqva* dicitur, *aqvæ* proprietates competant; nam primò tribuitur illi gravitas minor, qvàm terræ; qvoniam in telluris ſuperficie locum occupavit altiorem tellure: ſecundò tribuitur illi fluiditas, qvâ propriis terminis non fuit contenta, facilè autem alienis; qvem in finem tertio die in peculiaria loca congregatæ fuerunt aqvæ, illisqve certi limites poſiti fuerunt. *ergo ſi Gen. 1. v. 1. & 2. vocabula terræ & aqvæ propriè ſumuntur, cur vox illa coelum ibidem impropriam induet ſignificationem?* inſuper aqva

nec

nec unqvam potuit, nec etiamnum poteſt manere aqva, niſi à ſubtili materia ætherea ſive cœleſti ipſam undiq; ambiente & penetrante ſingulæ ejus particulæ minimæ vario motu agitentur; & in hoc vario motu minimarum particularum aqvæ, fluiditas ipſius conſiſtit, & ab hoc ipſo vario motu illa conſervatur. ergo ſeqvitur, qvòd ſubtilis materia cœleſtis &ætherea fluiditatem aqvæ dans primo die creationis exſtiterit: nam *coelum æthereum primo creationis die productum eſſe vel inde qvoq; liqvet*, qvòd pleriq; Theologi orthodoxi cum antiqvi, tum recentiores *arbitrantur lucem primævam vel primigeniam fuiſſe corpus lucidum & globoſum in coelo æthereo ſitum, qvod qvaſi minor & vicarius Sol (ob parvitatem tamen ſuam & minorem lucem nomine Solis carens) ſuo per coelum æthereum circuitu, vel acceſſu ſuo diem, diſceſſu noctem effecerit.* Expanſum autem die creationis ſecundo productum non aliud eſſe, qvàm Expanſum aëreum, hinc evincere conatur Bechmannnus, qvòd in tota hiſtoria creationis nulla mentio fit aëris, qvòd ille alio die, qvàm ſecundo productus ſit: credibile verò non ſit Moſen tam nobile corpus atq; tam utile, qvale eſt aër, ejusq; creationem prætermiſiſſe, ſine qvo nec homo nec animantia cætera reſpirare vel unâ horâ vivere qveunt. Qvòd autem Expanſum ſecundi diei creationis à qvibusdam ſtatuitur eſſe cœlum æthereum, ſupra qvod eodem die qvædam aqvæ ſint evectæ, & in qvo luminaria cœleſtia qvarto die creationis ſint locata: ad hoc reſpondet pro nobis Scherzerus in loco citato: nimirum *hanc ſententiam originem duxiſſe à vulgata & vitioſa verſione*, qvâ Expanſum ſecundi diei redditur à 70 interpretibus στερέωμα; à vulgato interprete *firmamentum*, qvo nomine non aër, ſed cœlum æthereum atqve ſtelliferum ſignificari conſvevit.

De-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Deniqve conſenſus Patrum non magni ſit in rebus articulos fidei Chriſtianæ non ſpectantibus: præſertim cum omnes præterqvam unus Hieronymus, ſanctæ lingvæ prorſus imperiti fuiſſe perhibeantur.

Argumenti ſecundi propoſitio minor pariter negatur: qvamvis enim *aqvæ ſupracœleſtes* vel cœleſtes non ſupra totum Expanſum aëreum evectæ ſint; tamen ſupra infimum Expanſum aëreum, qvod vulgò infima regio aëris, ſæpe qvoq; per Synecdochen cœlum nuncupatur, conſtitutæ ſunt; qvod ſufficere putatur, ut illæ *ſupracœleſtes* rectè dici qveant. Præterea dici poteſt, qvòd nubes aqvoſæ ſint ſuper totum illud expanſum aëreum ſitæ, qvod ſenſibus noſtris patet; pars autem illa Expanſi aërei, qvæ ſupra nubes eſt, ſenſus noſtros fugit, dum nubes cœlo videntur adhærere, cœlumq; illis incumbere apparet.

Argumenti tertii propoſitio major cum ſua probatione negatur: nam in pſalmo 148. v. 4 *Aqvæ ſupracœleſtes* non vocantur מַיִם אֲשֶׁר מֵעַל שְׁמֵי הַשָּׁמָיִם *Aqvæ ſupra coelos coelorum* (id eſt: ſuper ſupremos & altiſſimos cœlos) *conſtitutæ*; ſed מַיִם אֲשֶׁר מֵעַל שָׁמַיִם *Aqvæ ſupra coelum ſitæ* nuncupantur: aſſeritur enim illic qvòd Divinæ potentiæ bonitatisq; & ſapientiæ laudes declarent cœli ſupremi & nubes ſupra cœlum aëreum infimum evectæ, terram opportunè, ſalutariter admodum atq; utiliter irrigantes & fœcundantes, ut alimenta hominibus atq; brutis animantibus, tot nimirum frugum, fructuum atqve graminum genera copioſè pariat.

Syllogiſmi qvarti propoſitio minor itidem cum probatione ſua negatur: nam ſine tavtologia cum ſacri, tum profani authores primò rem qvamcunq; generatim qvandoqve me-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

morant, deinde ipſam ſpeciatim tractant: ſic Phyſici qvoqve ſine tavtologia primò nubes vel meteora aqvea generatim ſumpta tractant; deinde meteora aqvea ſpecialiter accepta nobis explicant: qvæ methodus *progreſſus à theſi ad hypotheſin*, vel *à genere ad ſpeciem aut individuum* Rhetoribus nuncupatur: Exempli gratiâ, pſalm. 135. v. 10. & 11. אֲשֶׁר הָרַג מְלָכִים עֲצוּמִים לְסִיחוֹן מֶלֶךְ הָאֱמֹרִי וּלְעוֹג מֶלֶךְ הַבָּשָׁן וּלְכוֹל מַמְלְכוֹת כְּנָעַן׃ *Qvi Reges præpotentes perdidit; Sihonem Regem Amoritarum, & Ogum Regem Baſanis, atq; omnia Regna terræ Canaan.* idem repetitur in pſalm. 136. v. 18. 19. 20. 21. Porro idem patet ex cantico trium virorum. v. 57. *Omnia opera Domini laudate Dominum.* v. 58. *Coeli laudate Dominum.* v. 59. *Angeli Domini laudate Dominum.* v. 60. *Omnes, qvæ ſupra coelum eſtis, aqvæ laudate Dominum. Sol & Luna laudate Dominum.* & ſic conſeqventer ad finem usqve. Hic ſanè author hujus cantici à genere ad ſpecies progreditur; vel primo rem generatim, deinde ſpeciatim tractat.

Qvemadmodum ergo in pſalmo 147. v. 8. & 9. Nubes ſive meteora aqvea generaliter ſumpta primò memorantur: deinde verſu 16, 17. 18. multis aliis longè diverſis interjectis meteora aqvea ſpecialiter accepta ſine tavtologia tractantur; tales ſunt *nives, pruinæ, grandines, parhelii, paraſelenæ, halones Solares, Lunares, & qvæ ſtellas cingere videntur; item irides, nec non* meteora ſpirituoſa vulgò ſic dicta, *venti, turbines & cætera meteora.* verſu 8. & 9. אֱלֹהֵנוּ מְכַסֶּה שָׁמַיִם בְּעָבִים מֵכִין לָאָרֶץ מָטָר מַצְמִיחַ הָרִים חָצִיר נוֹתֵן לִבְהֵמָה לַחְמָהּ׃ *Deus noſter coelum nubibus obtegit;*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

tegit ; pluvias in tellurem demittit ; facit ut montes imbribus irrigati gramina producant , qvibus animantia victitent. Poſtea verſu 16. 17. 18. multis aliis longè diverſis interpoſitis, meteora aqvea ſpeciatim ſumpta, nimirum nives, pruinas & grandines atq; alia meteora his verbis tractat vates ſacer : הנותן שלג כצמר כפור כאפר יפזר : משליך קרחו כפתים לפני קרתו מי יעמוד : ישלח דברו וימסם ישב רוחו יזלו מים : *Qvi nivibus candidis tanqvam albâ lanâ tellurem paſſim operit : pruinas tanqvam cineres per terram diſpergit : grandines ſuas ſicut buccellas paſſim projicit : qvis frigori ejus reſiſtere poterit? verbo ſuo emiſſo liqvefacit illas : vento ſuo ſpirante facit ut aqvæ guttatim inde diffluant.* ita in proximè ſeqventi pſalmo 148. v. 4. הללו את־אלהים שמי השמים והמים אשר מעל השמים : Laudate Deum cœli cœlorum , & aqvæ, qvæ ſupra cœlum ſitæ eſtis. generaliter primò tractantur meteora aqvea ſuperiora, nimirum aqvæ ſupra infimum cœlum aëreum evectæ, ſive nubes aqvoſæ vel aqveæ , qvæ ad nubes nivoſas , halones & cætera meteora aqvea ſpeciatim ſumpta ſe habent ut genus ad ſpecies ſibi ſubjectas. ſed poſtea verſu octavo : הללוהו אש וברד שלג וקיטור רוח סערה עשה דברו : *Laudate eum ignes & grandines , nives & fumi, atq; ventus turbinis ad nutum ejus paratus.* meteora ſpeciatim ſumpta memorantur , nimirum non ſolùm meteora ignita , qvæ nomine ignis ſignificantur ; verùm etiam meteora aqvea, *grandines , nives & nebulæ.* qvamvis autem nubes aqveæ non ſint aliud , qvàm vapores calore Solis & ignis ſubterranei mediam in regionem aëris elevati ; negatur tamen, qvòd

vates

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

vates ſacer per קִיטוֹר ſignificet nubes aqveas in media regione aëris hærentes: nam vox קִיטוֹר *nusqvam pro nubibus aqveis uſurpatur, ſed potiùs fumum vel halitum ſive anhelitum terræ ſiccum, ſulphureum atq; nitroſum ſignificat*, ex qvo terræ motus, preſteres, ignes fatui, & alia meteora ignita in regione aëris infima generari ſolent: unde Oſiander & interpretes alii קִיטוֹר hoc in loco vertunt *fumum*, qvem Phyſici *halitum terræ ſiccum* eſſe perhibent: aut ſi vel maximè vox קִיטוֹר heic ſignificaret *vaporem*, non tamen ſtatim ſignificaret *nubes aqveas*; poſſet enim *ſolas nebulas* denotare prope terræ ſuperficiem hærentes. deinde in cantico trium virorum, verſu 60. τὰ ὕδατα τὰ ὑπεράνω τοῦ οὐρανοῦ, aqvas ſuper infimum cœlum aëreum formâ vaporum & nubium evectas ſignificare poſſunt: nam nubes aqvoſas à ſacris & profanis authoribus *aqvas in coelo ſtantes* vocari ſatis ex præcedentibus patet; in verſu qvi longo ſeqvitur intervallo, νεφέλαι non neceſſariò ſignificant *nubes*: etenim νεφέλη Græcis authoribus *nebulam* qvoq; haud raró ſignificat. nec obeſt nobis, qvòd νεφέλαι ταῖς ἀστραπαῖς in eodem verſu jungantur: in hoc enim cantico meteora in infima regione aëris gigni conſveta cum meteoris in aëris media regione produci ſolitis conjungi non novum & inſolens eſt: nam ex ante citatis liqvet qvòd hujus cantici verſu 64. Ὄμβροι καὶ δρόσοι jungantur: & verſu 68. δρόσοι καὶ νιφετοὶ *rores & nives* conjunctim ponantur: atq; verſu 72. πάχναι καὶ χιόνες *pruinæ & nives* conjungantur. nec omnino falſum eſt authorem hujus cantici prorſus inconvenienti tavtologia vix liberari poſſe: nam verſu 64. aſſerit *qvòd imbres & rores Deum laudent*. & verſu 68 dicit qvòd *rores*

& ni-

& *nives* materia laudis Divinæ ſint. in eodem verſu 68. memorat author cantici qvòd νιφετοὶ Creatorem laudent. mox in verſu 72. dicit qvòd χιόνες laudes Dei declarent. Νιφετοὶ autem & χιόνες Græcis authoribus ſynonyma ſunt ejusdem prorſus ſignificationis. Ad probationem ex pſalmo 104. v. 3. depromptam reſpondetur, qvòd hic locus Davidis Beato noſtro Svaningio & aliis qvibusdam eruditiſſimis viris parallelus ſit loco Jobi cap. 26. v. 8. ita ut *ſuperiores coeli* (ſc. aërei) *partes aqvis concamerare & obtegere*, nihil aliud ſit, qvàm ex Jobi verbis in loco citato, *aqvas in nubibus coeli denſis ita colligare, ut nubes tamen ſub eis non rumpantur, anteqvam Deus nutu ſuo hoc fieri juſſerit.* nec ex pſalmo 104. v. 3. probari poteſt, qvòd *aqvæ coeleſtes* ſint in ſupremis cœli partibus, ſed in ſuperioribus partibus cœli, qvalis reſpectu regionis infimæ, media aëris regio eſt, qvæ ſuperior cœli aërei pars rectè vocari poteſt. porro in eodem pſalmo 104. v. 3. duo de nubibus aqvoſis vel aqveis prædicantur, primum, qvòd *partes coeli ſuperiores concamerent vel rotundè tegant:* ſecundum, *qvòd nubes ſint currus Dei.* Qvomodo verò nubes ſint currus Dei, videatur Dan. 7. v. 13. Matth. 24. cap. v. 30. cap. 26. v. 64. Marc. 14. v. 62. Actor. 1. v. 9. Apoc. 1. v. 7. ita ut *qvoties nubes intuemur, toties nobis in memoriam revocare debeamus, qvòd Deus filius nube, tanqvam curru validè atq; efficaciter uſus in coelum glorioſè evectus ſit; & qvòd eodem vectus curru gloriam & Majeſtatem Divinam atqve infinitam præ ſe ferens rediturus ſit ad vivos & mortuos redivivos juſtè judicandos.* probationi continuatæ qvarti argumenti ſic reclamatur ab aſſertoribus qvartæ ſententiæ: *imò verò Aqvam in duas partes in primordio Mundi diviſam eſſe, nihil eſt aliud, qvàm partem qvandam aqvæ,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

partim beneficio ignis & caloris ſubterranei telluri prorſus concreati, quemadmodum ſalſedo mari concreata creditur, partim ope lucis primigeniæ, quæ corpus lucidum & calidum fuiſſe putatur, partim paulò pòſt calore Solis in mediam coeli aërei regionem eſſe elevatam, & illic formâ atq; ſpecie nubium ſuſpenſam eſſe, & per infimum expanſum aëreum interjectum tanquam per διαχώρημα, *intervallum ac interſtitium diſcriminatam & diſtinctam eſſe ab aqvis marinis & cæteris aqvis inferioribus in terra exſiſtentibus.* Aqva rarefacta & in nubem attenuata retinet omnino naturam & eſſentiam aqvæ: ſi enim aqvæ, ubi in nubem reſolvuntur, amitterent naturam & eſſentiam aqvarum, qvomodo poſtea per reſolutionem nubium in aqvas, ad priſtinam naturam & eſſentiam aqvarum redire poſſent; ſiqvidem *à privatione totali ad habitum naturaliter non datur regreſſus.* veluti ergo ſtannum liqvefactum propriè eſt, & manet ſtannum, qvamvis habeat particulas à ſe mutuò divulſas, & circa propria centra motu rapidiſſimo agitatas à materiâ igneâ ſubtiliſſimâ & ad motum incitatiſſimâ inter ſingulas ejus partes fluitante; ſic *aqva rarefacta & in nubem attenuata, eſt, & manet aqva propriè ſic dicta*, etiamſi inter ſingulas ejusdem particulas plurimum aëris intercipiatur. at ajunt: *Qvis ingens diſcrimen inter aqvam & nubem neſcit?* reſpond. *qvis ingens diſcrimen inter Mercurium vel argentum vivum & pulverem rubicundum neſcit?* attamen Mercurius in pulverem valde rubicundum arte Chemica redactus non eſt aliud qvàm ipſe Mercurius perſonatus naturam & eſſentiam ſuam priſtinam ſub ſchemate rubicundi pulveris ita retinens, ut ad priſtinam formam arte Chemica facilè revocari qveat. inter aërem denſum & rarefactum magnum qvoq; diſcrimen eſt: uterqve

tamen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

tamen eſt verus aër. *qvamvis nubes non ſit aqva denſa, eſt tamen aqva vera rarefacta: & qvædam aqva rarefacta eſt nubes:* nam inter aqvam denſam & rarefactam non eſſentialis, ſed accidentalis tantummodo eſt differentia. deinde ubi nobis objicitur, *qvòd aqva ſit corpus ſimplex, nubes verò ſit corpus imperfectè mixtum, ideoq; nubes non ſit aqva;* reſpondetur qvòd ſiqvidem utraq; aqva tam denſa qvàm rarefacta vera eſt aqva, & utraq; continet in ſe plurima corpuſcula heterogenea, idcirco utraq; vel erit corpus imperfectè mixtum, vel corpus ſimplex. Cæterùm ipſe ordo modusqve creandi, qvo Deus uſus eſt, non obſtat qvò minùs per ſupracœleſtes aqvas nubes ſignificentur: nam *gloriam infinitæ potentiæ, bonitatis & ſapientiæ Creatoris non ſolùm oſtendit & declarat nubium admirabilitas;* qvia, teſte Plinio in loco citato, *nihil eſt admirabilius aqvis in coelo ſtantibus*, per qvas aqvas nubes innui ſatis ex ipſo manifeſtum eſt authore; verùm *ſapientiam & bonitatem immenſam Dei nobis etiam commendat ſumma nubium utilitas:* ſine nubibus nec homines, nec animantia cætera, nec arbores, nec herbæ vivere poſſent, ſed brevi perirent: qvia tellus niſi à nubibus in imbres & nives reſolutis fota, madefacta, irrigata & fœcundata fuerit, nullas fruges, nullos fructus, nulla gramina, nullas herbas ſalutares, nullos jucundos flores, in victum, alimenta & medicamenta hominum atq; cæterorum animantium produceret. taceo qvòd acutiſſimi & celeberrimi Philoſophi recentiores invictis argumentis oſtendant, *qvòd omnia flumina, fluvii, fontes, torrentes & rivi ſuam originem totam nubibus in aqvas reſolutis, nimirum pluviis & reſolutis nivibus debeant.* hæc de nubium utilitate dicta ſint; de qva ulteriùs in ſolutione noni argumenti mentionem faciemus. ad nubium

qvoq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

qvoq; dignitatem ſpectat, qvòd in pſalmo 104 v. 3. *ipſæ currus Dei vocentur.* ſi nubes non pertinent ad integritatem Mundi conſtituendam, tamen profectò ſpectant ad integritatem Mundi conſervandam; id qvod modò probavimus. falſum autem eſt *qvòd nubes opus integrum ſecundi diei conſtituant;* nam ſecundo die magnificum opus & Majeſtate Creatoris prorſus dignum productum eſt, nimirum *Expanſum, qvod tanqvam intervallum qvoddam intermedium ſive interpoſitum, aqvas inferiores in tellure manentes à ſuperioribus aqvis in coelum vel ſuper coelum aut elevatis aut paulò poſtea elevandis diſcriminaret & disterminaret.* Qvamvis nubes ratione ſuæ formæ ſint meteora fluxa & inconſtantia, tamen ratione ſui generis, atq; reſpectu materiæ ſuæ, ex qva conſtant, perpetuæ ſunt. ſi verò nubes ob fluxam inconſtantiam formæ ſuæ non à Moſe ſub nomine aqvarum ſupracœleſtium in hiſtoria creationis memorandæ fuiſſent, utiq; Moſes etiam creationem *lucis primigeniæ* reticere debuiſſet, qvia *lux primigenia* ratione formæ ſuæ qvoq; inconſtans fuit; nam ultra triduum ratione formæ ſuæ non duravit, qvamvis ratione materiæ ſuæ ſit perpetua. Qvòd autem *Deus Mundum nubilum creaverit* non aſſerimus, ſed ſtatuimus cum orthodoxis Theologis ſuprà laudatis, *Deum ſecundo die creationis condidiſſe coelum aëreum, qvod tanqvam interſtitium ac intervallum qvoddam interjectum diſtingveret inter aqvas inferiores in terra exſiſtentes, & cæteras aqvas ſuperiores paulo poſtea in coelum aëreum elevandas, atq; illic formâ nubium ſuſpendendas.*

Ad qvintum argumentum reſpondetur, qvòd nonnulli majorem propoſitionem in dubium vocare ſuſtineant, exiſtimantes hunc ſenſum eſſe poſſe verborum Dei, Gen. 1. v. 7.

Fiat

Fiat Expanſum, qvod intermedium ſit diſcrimen inter aqvas inferiores in tellure exſiſtentes, & inter aqvas ſuperiores in cœlum vel ſuper coelum calore Solis qvarto die creandi mox elevandas. Bechmannus autem in loco citato negat propoſitionem minorem, ratus haud improbabile eſſe, qvòd lux primigenia primo, ſecundo & tertio die creationis non ſolùm mundum illuminârit, ſed etiam qvadantenus eum calefecerit, & calore ſuo qvosdam vapores in ſublime tollere potuerit, qvandoqvidem *illa fuit vicarius Sol*, & corpus non modò lucidum & globoſum, verùm etiam calidum, etiamſi magnitudine, luce & calore multùm à Sole ſuperabatur. ad probationem minoris propoſitionis regeritur, qvòd illa non ſit ſatis valida; qvoniam experientia teſtatur, qvòd nubes aqveæ qvandoqve per triduum aut qvatriduum in cœlo ſuſpenſæ maneant, anteqvam in pluvias reſolutæ deorſum in tellurem cadant.

Argumenti ſexti propoſitio minor negatur: qvia non modò ſiccæ, ſed etiam aqvoſæ nubes in cœlo ſunt perpetuæ, qvamvis non ſemper qvoad apparentiam, attamen ſemper qvoad exſiſtentiam. Nubes viſibiles non ſemper in cœlo ſunt, qvantum ad ſenſibilem Horizontem attinet: tamen inde non rectè infertur nubes non eſſe perpetua cœli corpora; niſi oſtendi poſſet, omnes Horizontes ſimul & ſemel à nubibus imminentibus immunes eſſe; qvod fieri non poteſt. Qvin potiùs exiſtimandum eſt perpetuas qvasdam in cœlo eſſe nubes, qvæ à ventis agitatæ & impulſæ nunc in hoc, nunc in alio Horizonte conſpiciantur: qvod etiam innuitur proverbio vulgari: *ſi non pluit hîc, pluit alibi:* qvô nobis indicatur nubes qvasdam aqveas ſemper vel in hoc Horizonte, vel in alio conſpicuas imbres in tellurem demittere.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Ad argumentum ſeptimum reſpondetur κατὰ βίαιον, per retorſionem: *Cataractæ cœli ſunt aqvæ ſupracœleſtes*, ex mente defenſorum tertiæ ſententiæ. *cataractæ cœli ſunt nubes aqveæ vel aqvoſæ. ergo nubes aqveæ vel aqvoſæ ſunt aqvæ ſupracœleſtes.* minor propoſitio probatur ex loco parallelo Malach. 3. v. 10. אֶפְתַּח לָכֶם אֵת־אֲרֻבּוֹת הַשָּׁמַיִם וַהֲרִיקוֹתִי לָכֶם בְּרָכָה עַד־בְּלִי־דָי׃ *Ego apertis cœli cataractis affundam vobis copiam uberrimam.* id eſt: Ego nubes aqvoſas tanqvam cœli cataractas aperiam, ut largiter atq; opportunè illæ profundant vobis pluvias frugiferas & fructiferas ad uberrimas fruges & fructus copioſiſſimos vobis producendos.

Deinde meritò dubitatur qvomodo *aqvæ ſupracœleſtes* tempore diluvii univerſalis de cœlo ſtellarum fixarum per intervallum immenſum in tellurem deſcendere potuerint ad ipſam celeriter & ſubitò inundandam, atq; aqvarum mole profundè obruendam, cum Mathematicorum communis ſit ſententia *lapidem molarem, ſi de cœlo ſtellarum fixarum in terram demitteretur, non poſſe per annos decem, propter immenſam cœli ſtellarum fixarum à terris diſtantiam, tellurem attingere.* dubium qvoq; eſt, *qvomodo aqvæ ſupracœleſtes officiô ſuô inundationis Telluris factô rurſus per immenſam altitudinis diſtantiam è tellure ſuper cœlum ſtelliferum aſcendere potuerint.* Porro naturaliter evenire poteſt ut imbres vehementes atq; copioſi per ſex hebdomades continuas in tellurem aſſiduè noctu atq; interdiu cadant; cum Bergenſes cives Norvagici illud in ſuo territorio qvotannis contingere teſtentur.

Deniq; talibus aqvis ſupracœleſtibus de cœlo ſtellifero lapſis ad tellurem altè inundandam minimè opus fuit; cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

literæ ſacræ, Gen.7.cap.v.11. teſtentur, obſtructis à Deo canalibus, alveis & cavernis ſubterraneis, atq; obthuratis ſuper tellure exſtantibus aqvarum receptaculis ſive locis cavernoſis, univerſum terrarum orbem propter talia obthuramenta ab aqvis hiſce inferioribus undiq; altiſſimè inundari & aqvarum mole prorſus obrui neceſſum fuiſſe.

Argumenti octavi propoſitio minor pariter negatur; qvia licèt Expanſum aëreum aqvis inferioribus in terra manentibus atqve nubibus in ſublimi ſuſpenſis non ex toto interjaceat, tamen magna ſui parte nempe tota ſua regione infima, qvæ plurium interdum eſt altitudine milliarium, & per Synecdochen etiam expanſum & cœlum ſæpe nuncupatur, illis ut διάστημα καὶ διαχώρημα, intermedium qvoddam interſtitium interpoſitum eſt. itaqve diverſo reſpectu utrumqve verum eſt, & qvòd nubes ſint ſupra cœlum aëreum, & qvòd ſint in medio ejusdem: nubes ſunt ſupra cœlum vel expanſum aëreum, ſi per expanſum vel cœlum aëreum intelligatur inferior aëris regio, qvæ per Synecdochen etiam cœlum nuncupatur: in medio cœlo aëreo nubes exſiſtunt, ubi cœlum aëreum ſumitur pro tota ſphæra aëris.

In argumento nono conceditur qvòd *res propter fines & uſus ſuos ſpeciales ignoratos non ſtatim nobis negandæ ſint, ubi nobis exſiſtentia ipſarum aliunde ſatis nota fuerit & manifeſta:* at ubi exſiſtentia rei cujusdam non minùs, qvàm uſus & fines ejusdem ſpeciales, nobis ignorata fuerit, res ipſa qvoqve vel negatur, vel in dubium vocatur. Porro finis & uſus generalis *aqvarum ſuper cœlum ſtelliferum evectarum* hic eſſe traditur, qvòd *Deum laudent*, vel materia ſint laudis Divinæ, ſive laudandi Deum, permovendo homines, qvi ipſas exſiſtere noverunt, ad Deum laudan-

 dum:

dum: ſed qvomodo qvæſo poterit illud eſſe materia laudis Divinæ, permovendo homines ad Deum laudandum, qvod nullum mortalibus emolumentum, uſum atq; commodum afferre poteſt? at *aqvæ cœleſtes formâ nubium aqvoſarum in cœlo aëreo pendulæ, ſunt valde mirabile opus providentiæ Divinæ*, teſte illo, qvi hic multoties à nobis citatus eſt, Plinio, in libro 31. cap. 1. & *opus Dei ſummè laudabile atq; utile mortalium generi*, dum illæ formâ nivium & pluviarum de cœlo decidentes terras fovent & illas longè latéqve irrigant atq; fœcundant, & efficiunt ut terra gramina lætiſſima, jumentorum, armentorum & pecorum alimenta ac pabula, herbas ſaluberrimas menſis & Medicinæ inſervientes, atqve uberrimas & lætiſſimas fruges variorum generum, & fructus varios hominibus proferant: audiatur de hoc Eſaias Propheta cap. 55. v. 10.

יֵרֵד הַגֶּשֶׁם וְהַשֶּׁלֶג מִן־הַשָּׁמַיִם וְשָׁמָּה לֹא יָשׁוּב כִּי־אִם הִרְוָה
אֶת־הָאָרֶץ וְהוֹלִידָהּ וְהִצְמִיחָהּ וְנָתַן זֶרַע לַזֹּרֵעַ וְלֶחֶם לָאֹכֵל׃

Imbres & nives de cœlo cadunt, atq; illuc non revertuntur, ſed tellurem irrigant, & illam fœcundant, atq; efficiunt, ut ea producat ſemina ſatoribus, & victum atq; alimentum hominibus & cæteris animantibus.

Fines autem & uſus ſpeciales atq; phyſici *aqvarum ſupracœleſtium* ſupra expanſum ſtelliferum evectarum duo ſtatuuntur ab aſſertoribus tertiæ ſententiæ; prior ex mente eorum eſt, ut *immenſus tot tantorumq; ſiderum ardor refrigeratione aliqva mitigetur atq; temperetur*: licèt enim ſidera formaliter calida non eſſe communiter ſtatuant Philoſophi, attamen ex tam veloci motu & circumgyratione qvendam excitari calorem atqve ardorem non eſſe improbabile ajunt: Reſpond. Siderum & ſtellarum admodum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

ingens inter ſe, & immenſa prorſus à terris diſtantia ſufficit ad illarum ardorem mitigandum ac temperandum, adeò ut refrigeratione aqvarum ſupracœleſtium ſupra cœlum ſtelliferum evectarum hic minimè ſit opus.

Poſterior finis & uſus ſpecialis *aqvarum ſupracœleſtium ſuper expanſum æthereum evectarum*, hic à qvibusdam exiſtimatur eſſe, *ut earum pondere deorſum cœlum urgeatur, & prematur deorſum, ne crebro violentoq; ventorum impulſu concuſſum, huc illuc agitetur cœlum:* Reſpond. qvòd totus globus terrenus cum ventis, exhalationibus & cæteris vaporibus, id eſt, cum tota atmoſphæra ipſum circumfundente atq; cingente, ad cœlum immenſæ prorſus altitudinis ac amplitudinis comparatus vix unius puncti rationem obtineat. Et cum venti vix ultra qvindecim milliaria Germanica in altum ſupra terram aſſurgant, qvomodo illi cœlum ſtelliferum concutere, illudq; huc & illuc agitare poterunt? nullum ergo periculum eſt ne cœlum ſtelligerum à ventis huc illuc agitatum ruat, niſi aqvæ ſupracœleſtes ſuper expanſum æthereum ſitæ illud ſtabiliverint. Sperlingius & alii Phyſici teſtantur *qvòd in vertice Olympi altiſſimi montis Theſſaliæ neq; pluviæ cadant, neq; ventorum flatus ſpirent; adeò ut cineres ſacrificiorum, per annos plurimos illic jacentes nullo vento difflentur & diſſipentur; & nullus homo propter nimiam ſubtilitatem aëris illic per dimidiam horam vivere poſſit, niſi ſpongia acetô impleta naribus admota fuerit, ut inde ſubtiliſſimus aër naribus attrahendus temperetur per vapores ex aceto exhalantes.*

Ad decimum argumentum reſpondetur, qvòd illud ipſum magis perſtringat Doctores Scholaſticos, qvi *aqvas ſupracœleſtes* interpretati ſunt de cœlo qvodam cryſtallino, atq; adeò de aqvis non fluidis, ſed in modum cryſtalli vel glaci-

E 3 ei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

ei induratis & concretis, qvàm nos, qvi aſſerimus aqvas cœleſtes in cœlo vel expanſo aëreo pendulas naturam & eſſentiam aqvæ prorſus integram retinere.

Propoſitio major undecimi argumenti conceditur, *qvòd ille locus cuiq; corpori naturalis ſit, qvem Deus omnis ordinis author ipſi primâ in creatione dederit:* ſed negatur minor propoſitio, nimirum ullis aqvis tam ſublimem & altum locum à Deo aſſignatum eſſe, ut ſupra cœlum ſtelliferum evectæ ſint: & qvanqvam nonnulli hæc verba ſæpe ingeminant: *Qvoqvo modo aqvæ ſupra coelum ſupremum exſiſtant, eas illic eſſe minimè dubitamus; pluris enim nobis eſt verbi Divini authoritas, qvàm ingenii humani ſubtilitas:* nobis tamen dubitationem qvandam afferre poterunt rationes ſententiam contrariam affirmantes.

Argumenti duodecimi propoſitionem minorem itidem inficiamur: nam derivatio Hebræi nominis cœli שָׁמַיִם vel ex שָׁם illic & מַיִם aqva, qvaſi hoc nomine innueretur illic, nimirum ſuper cœlum ſtelliferum aqvas eſſe ſitas & conſtitutas; vel ex אֵשׁ igne & מַיִם aqva, qvaſi hoc nomine compoſito cœli, denotaretur *coelum ex igne & aqva in primordio rerum productum eſſe;* non eſt vera etymologia vel derivatio Hebræi nominis cœli, ſed alluſio pro arbitrio ficta: veram autem etymologiam vocis שָׁמַיִם mox in additamentis trademus.

Minor propoſitio argumenti decimi tertii in dubium qvoq; vocatur; qvamvis enim *multiplex Macrocoſmi & Microcoſmi ſit analogia*, illa tamen in omnibus rebus pro arbitrio non eſt ſtatuenda: in probatione minoris propoſitionis conceditur ſimilitudinis πρότασις, nimirum qvòd *ſupra cor igneæ naturæ ſitum ſit cerebrum frigidum & humidum*, verùm ſimilitudinis ἀπόδοσις negatur, qvòd *ſimiliter*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

liter ſupercoeleſtes ignes conſtitutæ ſint aqvæ humidæ & frigidæ naturæ.

Hæc de aqvis ſupracœleſtibus à Theologis & Lutheranis & Reformatis, pariterq; à Philoſophis Chriſtianis in diverſas partes diſſeruntur; fatentur tamen ipſi, & nos cum eis, *nondum ſatis liqvidum eſſe, qvæ qvalesq; aqvæ ſupracoeleſtes judicandæ ſint, qvidve per ipſas ſignificetur:* nihilominus in qvartam ſententiam amplectendam major Theologorum recentiorum atq; Philoſophorum eſt propenſio.

אבי־שמים ומים אשר מעל שמים יהי מבורך ומהלל תמיד ולעולם׃

Αἰνεῖτε καὶ εὐλογεῖτε τὸν παντοκράτορα Κύριον οὐράνιον οὐρανοὶ πάντες, καὶ ὕδατα πάντα τὰ ὑπεράνω τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τὰ ἄλλα ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ σύμπαντα.

Additamenta.

I.

שמים ideo dualis eſt numeri, qvia duo tantùm ſunt naturales cœli totales, nimirum *æthereum* & *aëreum*, qvorum utrumq; in plures cœlos partiales dividitur; ita ut *tot ſint coeli aërei partiales, qvot ſunt regiones aëris, qvarum qvævis per Synecdochen cum à ſacris, tum à profanis authoribus coelum appellatur; & tot ſint coeli ſtelliferi, qvot ſunt planetæ & ſtellæ:* nam qvævis ſtella ſuum peculiarem habet vorticem, qvi cœlum ipſius vocatur. exempli cauſâ: Luna ſuum peculiarem habet vorticem, qvi cœlum Lunæ appellatur, à cæteris cœlis diſtinctum.

II.

Probabilior eſt ſententia Carteſianorum, cœlum in multos

tos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

tos & varios vortices cum majores, tum minores diſtinctum eſſe ſtatuentium, qvàm Peripateticorum & Ptolemaïcorum, qvi cœlum in multas ſphæras vel orbes ſolidos & cryſtalli inſtar firmos diviſum eſſe putant.

III.

Appellatio cœli Hebræa שָׁמַיִם nec eſt ab אֵשׁ & מַיִם qvaſi cœli materia, ex qva productum eſſet & conſtaret, ignis & aqva eſſent, qvemadmodum referente Sperlingio qvidam ſomniârunt: nec ex præfixo שֶׁ & מַיִם, Sægol mutato in Kamez, qvaſi dicas: qvæ ex aqvis, ſcilicet conſtant: qvemadmodum non nemo voluit, qvæ ſententia veri ſpeciem vix habet: nec à שָׁם & מַיִם, illic aqvæ: ſuperiùs enim ſtatuebamus hanc non eſſe veram vocis iſtius etymologiam, ſed fictam potiùs alluſionem. nec nomen cœli Hebræum derivatur à שָׁמַם *obſtupuit, admiratus eſt; propterea qvòd coeli ſint ſtupendum atqve admirandum opus immenſæ potentiæ Divinæ, & gloriam infinitæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis Divinæ ſemper objectivè enarrant:* hoc eſt, oſtendunt, declarant, manifeſtant: ſed vox שָׁמַיִם conſentientibus omnibus Hebrææ lingvæ peritiſſimis philologis longè veriùs derivata eſt à qvadam ſanctæ lingvæ radice dudum qvidem ab Hebræo ſermone deperditâ, ſed adhuc ſuperſtite nobis in Arabica lingva filia Hebrææ lingvæ longè copioſiſſima & ditiſſima, nimirum à שָׁמַח *altus fuit & ſupernè texit;* qvia *coelum, ut altiſſimum corpus ambitu ſuo atq; complexu omnia cætera corpora naturalia tegit, nec ipſum à qvopiam alio corpore ipſum ambiente tegitur.*

Cætera ſtelliferum tegit omnia corpora coelum.

IV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

IV.

Cœlum non aptè vocatur στερέωμα *firmamentum*, (qvæ vox eo ſenſu accepta eſt barbara) qvia *cœli* non conſtant materiâ firmâ, ſed fluidiſſimâ atq; ſubtiliſſimâ & tenuiſſimâ: & qvia hoc nomen cœlo impoſitum eſt ab illis, qvi ſtatuebant cœlum conſtare ex ſphæris & orbibus cryſtalli inſtar firmis ac ſolidis. qvamvis nonnulli hanc nominis impoſitionem excuſare tentent, dicentes *coelum* vocari *firmamentum* poſſe, non ratione duritiei & firmæ partium cohæſionis, ſed ratione immutabilitatis, qvia cœlum firmum, hoc eſt, inviolatum & immutabile per tot annorum millia permanet; tamen iſta excuſatio nihil valet; qvoniam eâ ratione qvodlibet elementum *firmamentum* nominari poſſet.

V.

Qvamvis *coelum* ſit extenſionis indefinitæ, vel, reſpectu noſtri in infinitum extenſum ſit, habet tamen, ex ſententia & judicio Carteſianorum, terminos & fines ſoli Deo cognitos.

In
Præſtantiſſimum atq; Doctiſſimum Diſſertationis hujus AUTHOREM
Amicum tanqvam Fratrem integerrimum:

Infirmare parat *poſitos ſuper aſtra Liqvores*
BEENIUS haud falſâ, ſed ratione bonâ.

p. ANTONIUS MUSÆUS.

Lectiſſimo Domino Defendenti
Dno JACOBO STRUMIO
Amico exoptatiſſimo ſic gratulatur AMICUS:

Sic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Sic Parnaſſiacis aſſvevit STRUMIUS undis,
Ut *ſuperas* etiam ſcribere tentet *aqvas*.
Proficiat porro, Phœbiqve ad culmina ſumma
Pergat inoffenſô ſtrenuus ire pede.

Ingenioſiſſimo & literatisſimo Domino Defendenti

JACOBO OLAI STRUMIO

populari optimo & amico integerrimo.

Tellus, mi STRUMI doctiſſime, noſtra vocatur
Mater, ſed cœlo nos genitore ſumus:
Humanis animis cum ſit cœleſtis origo,
Cœleſtes igitur res ſpeculemur eis:
Non ſolùm terrena, ſed & cœleſtia ſpectat
Ingenuus Sophiæ cultor, homoq; bonus:
Hinc mecum tentas evincere qvòd ſuper altum
Cœlum ſtelliferum non teneantur aqvæ:
Ritè facis, juvenis lectiſſime, qvòd tibi curæ
Sit ſtudiis vitam condecorare tuam:
Nemo deſidiâ fiet laudabilis unqvam;
Cultores virtus tollit ad aſtra ſuos:
Ergo præclaros ut nanciſcaris honores,
Ingenium ſtudiis excolis ipſe tuum:
Qvi ſtudiis operam dant & virtutibus, illis
Fert Deus auxilium præſidiumqve ſuum:
Vir pius atq; probus tandem fit magnus honore,
Clarus honore ſoli, celſus honore poli.

ita gratulabundus applaudit
PRÆSES.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 00795 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-66 4° 795